

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſecundâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. LXV.

M. LUDOVICO-MARIA POUSSE, Equite & Cenſore Regio, Doctore Medico, Præſide.

An ad ſanandos chronicos affectus, ſit ut plurimùm excitanda febris?

I.


CUM morborum inſultibus pateat undequâque corpus, natura operi ſuo ſemper invigilans ſuas adhibuit artes ut, ſi quæ materia morbifica inſidiosè per viſcera ſubreperet, ſtatim conſpirantibus œconomiæ animalis viribus, aut ſubacta eliminaretur, aut converſa in melius functionum harmoniam nequaquam læderet. Id beneficii repertum in febre quæ, dum optima

A

morborum medicatrix haberi debet, mille lacessita calumniis eam obtinuit famam, ut corporis in perniciem suos ignes intenderet : hinc evenit ut pro vario aspectu variæ fuerint febris definitiones. Apud quosdam febris habebatur veluti ignis qui, dum vim in corde expanderet, cogebat fibras ad frequentiores, vegetioresque contractionis nisus. Alii ab explosione molecularum nitrosarum ortum febris duxere. Posteà placuit Chemistis à fermentatione febris naturam & effectus deducere. Nos verò ad rei naturam attendentes, solaque febris præsentis in corpore phænomena considerantes, illiûs essentiam ponimus in acceleratione pulsûs cum majori vel minori functionum læsione; febrimque vocamus naturæ instrumentum quo partes impuras à puris secernat. Reverâ nonne in morbis quibusdam cum bonis ægri rebus febri, ut ita dicam, pabulum subministrari debet. In variolis dum languet humorum motus, dum torpida jacet vasorum vis systaltica, difficile evadit morbi judicium. Ad cutem ægrè appellit materia morbifica; hasque inter angustias natura artis potentiam invocat, ut suscitato vasorum tono utilior promoveatur secretio. In morbis soporosis spes clinicorum erigi incipit, quando febre corripitur ægrotans. His positis quid febris possit in corpore humano efficere, paucis perpendamus. Primus effectus erit intentior fibrarum tonus, secundus erit materiæ inimicæ agitatio, subactio, coctio, & hinc patet immutationem humorum in novam aliquam diathesim pendere ab auctâ vasorum vi systalticâ. Cùm autem in perfecto sanitatis æquilibrio, varii humorum elaborationis gradus specialem postulent solidorum actionem, dum morbosus ingruit status, id continget ut, cùm incurrat in parietes vasorum inimicus humor, solidorum tonus ad absolvendam materiæ heterogeneæ coctionem intendi debeat, & mediante isto toni augmento fiet aut eliminatio, aut assimilatio. Hinc manifestum est quot bona conferat febris: hinc ad debellandos affectus chronicos tutior medela videbitur; sed priusquam hujusce rei probationem aggrediamur, considerare est quid sint morbi chronici, à quibus causis originem sortiantur, & quales in illis curandis sese offerant indicationes.

I I.

» MORBI chronici appellantur isti qui vel non omninò, vel tardè » admodùm, & longâ temporis morâ ad coctionem pertingunt.* » In illis morbis, ut ait Celsus, neque sanitas in propinquo, neque exitium est. Quemadmodum ætatibus variæ adscribuntur Phases, ita & affectibus chronicis, qui dividuntur in chronicos acutos & momentaneos ut epilepsia,

* Sydenh. page 472.

in lentos seu propriè dictos, in febriles, & in chronicos post acutos supervenientes. Sunt etiam permulti morbi chronici ubi major adest infarctus, minor vero erethismus. Sed *æstimatio causæ sæpe morbum solvit.* Causas igitur chronicorum venemur. Causæ illæ sunt humorum *indigestio*, stasis, solidorum laxitas, & aliquandò quædam rigiditas. Sex rerum non naturalium errores, coctionesque læsæ fomitem quoque chronicorum suppeditant. Porro concilietur solidis nimia laxitas, sero diffluent fibrarum stamina, requisitoque ad liberum functionum corporis exercitium tono carebunt. Sed vitium illud spectari potest vel quoad fibram, vel quoad vasa. Ut semel exstiterit, vis fibrarum tonica imminuetur : hinc minor elasticitas in fibris quæ non sunt musculares, minor verò *contractilitas*, in fibris quæ musculares ; & fluida jam non validis vasorum ictibus everberata, moras nectent in vasis, quæ mora attractioni favebit quæ inter unamquamque humorum moleculam existit, & hinc spissitudo : tunc fluidorum pars tenuior divortium meditabitur, suique juris facta, fibras jam sero luxuriantes magis ac magis alluet, adeo ut legitimi vix supersint toni vestigia ; tunc variis modis lædetur humorum coctio, & quæ tantum confert sanitati, per spiratio, partim sufflaminabitur. Hinc cachexia, cacochimia, hydrops, omnes denique morbi à serosâ colluvie. Quidam autem morbi chronici, ut epilepsia, melancholia, à fibræ rigiditate ortum repetent. Hanc tamen rigiditatqm veluti causam primariam habendam esse non statuimus. Huic duntaxàt inhæremus, scilicet, quod memorata rigiditas existat apud illos qui hisce morbis vexantur : aliundè verissimile est delitescere in humoribus materiam quamdam de cujus naturâ multùm disceptatur. Admissâ semel illâ materiâ seu acidâ, ut voluere quidam auctores, seu alteriûs cujuslibet indolis, evidentèr patebit rigiditatis ratio. Sed dum rigent solida majorem *irritabilitatis* gradum adipiscuntur : hinc mirum videri non debet exquisitissimo sensu pollere fibram hipocondriacorum & epilepticorum, & id probat rigiditatem posse haberi veluti causam efficientem quorumdam chronicorum, quod nempè composito fibræ orgasmo non eâdem vi sæviat malum, sæpè compescatur, aliquandò etiam tollatur. Nonne in praxi observare datur quasdam obstructiones quæ, cùm sibi comitem adjungant spasmum, contra artis medicæ aculeos quasi recalcitrant, donec evanuerit rigiditas. Sed ne divagemur, alias morborum chronicorum causas revocemus? Sæpe ex acutis natales mutuantur. Quando naturæ vires defuere ut legitimam absolveret coctionem, timendum est, ut ait Hippocrates, ne, quod imperfectè judicatum est, recidivas faciat. Tunc morbi residuum in viis circulatoriis superstes procreat affectus chronicos febriles, quorum nomen variat pro

vario viſceris affecti nomine. His poſitis, certum eſt humores poſſe peccare ob nimiam ſpiſſitudinem, & hinc obſtructio, aut propter diſſolutionem, ut in ſcorbuto. Sed alias cauſas de induſtriâ omittimus, cùm omnes ex pravâ tum ſolidorum tum fluidorum diatheſi oriantur. Nunc liquet quænam adimpleri debeant indicationes. Si adſit ſpiſſitudo pendens ab imminutâ fibrarum actione, hùc collimare eſt, ut exſuſcitetur tonus. Si adſit rigiditas, ut primò minuatur tonus, ſecundò ut fibris addatur is ſtimulus quo materia ſpaſmum gignens foràs abigi queat. Tandem ſi diſſolutio fluidorum, ut materiæ heterogenæ, quæ præpediunt liberam humorum cohæſionem, expellantur. Nunc ad hæc, quid febris?

I I I.

» SOLA febris intemperiem frigidam oppugnando expugnat, humoremque crudum exhaurit, nervorum principio, ipſiſque nervis robur conciliat, ſpiritibus viam munit; quorum appulſu pars unaquæque fit expedita & alacris ad movendum & ſentiendum. * Ipſa autem febris facit liberè, liberalitèr, & citò exire malum, quod intùs lædit, per ſudores confertim proruptos. Unde primum certa eſt ægris, nec inſidioſa levatio, mox inde perfecta reſtitutio.* » Reipsâ jam non idem eſt in ſolidis toni gradus, horum intenditur elater, & quâ proportione creſcit vis elaſtica, eâdem augetur fibræ vibratilitas. Cùm verò circulatorii motûs efficacia ſit in ratione compoſitâ horumce effectuum, hincque pendeat fluidorum craſis, novus ſuccedit rerum ordo. Jam evanuit ſolidorum inertia & liquores noſtri magis ac magis ad novam indolem vergunt; (hic duntàxat de liquoribus alterationi jam proximis loquor.) Dum ab auctis ſolidorum viribus novas fluida aſſumunt mutationes, ſupponi neceſſariò debet coctio quædam quam ſi quis in dubium revocat, naturam ſedulò ſcrutetur. Nonne ex omnium morborum judicio veritas illa eluceſcit, & ſiquidam adſint morbi in quibus manifeſto ſignorum apparatu non ſeſe prodit criſis, hanc ſubſidentiam referas ad infirmam ſeu oculorum, ſeu mentis aciem, tunc per tenuiſſimos corporis mæandros citra ullam evacuationis ſenſibilis notam in auras avolavit materia morbifica. Veritas hæc pertinet etiam ad morbos inflammatorios qui per fauſtam reſolutionis viam ſanantur. Non inferre animus eſt ſtata ac definita criſium tempora eodem incedere greſſu quo obſervabantur a veteribus, quin etiam affirmare auderem à ſagace Medico poſſe naturam, dum moras nectit, ſtimulis excitari ad opus, dum nimis præceps eſt, frænis prudentèr compeſci. Sed in ſtatu naturali variæ

* Duret. in coac. p. 368.

* Id. p. 377.

functiones nihil aliud sunt quàm variæ crisium species. Aliudne instituerer iter natura, dum morbus adest ? Chronicis igitur affectibus præficient crises, & dum mediante febris motu his in morbis materiarum heterogenearum perficitur coctio, inimicus humor eam assequitur tenuitatem quâ commodè aut excerni queat, aut converti in materiam ab humorum indole non omninò discrepantem. Si materiæ morbificæ evacuationem moliatur natura, (quod semper accidit, licet enim locum habuerit assimilatio; supersunt enim fæces quæ, si intra sanguinis alveum retinerentur, turbas ingentes concitarent.) Pars puriformis, si fas ita loqui, miscebitur cum materiâ quæ nondùm præscriptos coctinis limites adepta fuit, & cum eâ foras eliminabitur; plerorumque enim chronicorum origo pendet ex eo quod, dum intempestivo medicamentorum usu turbatur naturæ opus, coctio imperfecta remaneat, & coctionis imperfectio referenda est ad debiliorem febris motum. Jam subodoratur quid possit febris præcipuè in chronicis. Sed ratiocinio obsurdescunt aures; Ariadnæum in observatione filum quæramus.

I V.

TITUBANTES Medicorum gressus dirigit ac firmat observatio. Hanc ducem presso pede semper sequi nitantur? nullam fidem nanciscceretur dissertatio nostra, nisi foret patrocinio observationis fulta. Si Hippocratem evolvamus, se se offeret morbus refractariæ admodùm indolis mediante febre solutus. » Quartana quidem securrissima est atque libertatis » vindex epilepsia. Quartana febris epilepsiam sanat : sanat quia redintegrationem affert partibus è naturâ egressis, modò tamen febrem non sequatur epilepsia. * » *Febrem enim convulsioni supervenire melius est, quam convulsionem febri.* * Sunt adhuc permultæ aliæ observationes in libris sparsæ quæ de medelâ plurium chronicorum febre solutorum mentionem faciunt. Etenim nonne videre est plurimos infantes delicatioris admodùm texturæ ægra vix trahentes corpora qui, ut limen pubertatis salutarunt, beatiorem vivunt vitam, febrique tunc ingruenti id referre debent beneficii quod à tristibus morborum relliquiis liberi imposterùm evaserint. Rachialgia quotidiè, febre supervenìente, paroxismorum redeuntium serie solvitur. Practicos non latet pertinaces ophtalmias, surditates, paralyses incompletas præsertìm apud juniores, ortâ febre, fugam moliri nunquam redituras. Nonne aliquandò observantur Phtyses quædam in primo statu, quas tollit fausᐨ

* Duret. in coac. p. 227, 28.

* Hip. Aph. 26. sect. 2.

tus institutæ crisis eventus. Sed crises absque febre non absolvuntur. Jam diximus quò tendere debeat curativa chronicorum methodus. His in casibus vitia cadunt & in solida, & influida. Natura per se humorum coctioni favere nequit; necessariò requiritur ut laboranti naturæ præsto adsint remedia, & quæ tunc usurpantur auxilia, ex aperientium censu eliguntur. Medicamina quæ vi aperitivâ pollent, concretam habent actionem, id est, suos erga solida & fluida exerunt effectus, & si non semper celerior videatur horum efficacia, incusandus est timor quorumdam Medicorum qui febrem accendere damnosum putant, his in circumstantiis rati ægrum, si tunc ingrueret febris acuta, ad plures migraturum. Sed quam inanis est timor! Sagax Medicus pro nutu febrem laxis habenis excitare aut refrænare potest: Aliunde » *homo integer quasi novâ incude refingendus est....* » *& voto frustrabitur is qui in hoc aliove morbo chronico omnem curationem* » *medicamentis solis absolvi posse autumat.* * » Confugiendum igitur ad auxilia præstantioris momenti, & in chronicis sequi decet monita quæ dedit immortalis Boerhaavius dum de melancholiâ scriberet: *In his remidiis indicatis pergendum est, donec febris signa dat materiæ mota.* Dum verò corpori ingeris aperientia, febrem suscitas; fluida enim motûs circulatorii vim ac efficaciam à nisu vasorum contractili mutuantur. Si fibris quibus coalescunt vasa addatur stimulus, in vegetiores motus erumpent, fluidaque vividiori propellent impetu. Cùm autem in chronicis plerumque nimium debilitata sit solidorum compages, nimiùm viscida humorum crasis, multùm profectò emolumenti percipiendum venit ex medicaminibus quæ, dum solidis aculeos emittunt, dum circulationis rotam celeriùs agunt, causis morbi tutiori viâ medentur. Si fortè chronicus affectus ortum repeteret a debilitate vasorum, aliud foret calcandum iter, & veritas hæc facilè illucescit, cognitâ aperientium naturâ. Aperientia sive mineralia, sive vegetabilia sive ex regno animali deprompta, suas obtinent vires à principio stimulante quo copiosiùs prægnat regnum minerale: hinc cautè admodùm cum aperientibus mineralibus mercandum. Vis illa stimulans, mox memorata, a sale seu acido seu alkalino natales ducit. Ad genuinam effectuum explicationem non proferam in medium decantata illa spicula quibus ista medicamina humores incuneare, ac frangere veteribus videbantur. In animum inducimus humorum attenuationem pendere à sale variis liquorum moleculis interposito, qui quidem sal fibras pungit, stimulat idque efficit ut vividiori fibrarum motu, fluida jam diluta mediante liquore salino magis ac magis comminuantur. Hinc videre est quam prudenti cautelâ in

* Syndenh. Page 475.

principio chronicorum adhiberi debeant aperientia. Nam pro variâ idiofynchrafiâ varios fortiuntur effectus, diverforum etiam cafuum ratio haberi debet. Variis enim modis peccare poteft fanguis, aut vifcidus eft & tenacioris eft indolis limpha, aut fpiffus evadit & non fufficienti diluitur limphæ copiâ, aut nimia prægnat ferofitate, & per meatus in ftatu naturali impervios fibi pandit iter. In tribus hifce cafibus non æqualiter tutus primâ fronte videri debet aperientium ufus. Nunc intueamur effectus quos exerunt ifta medicamina; laxæ nimis fibræ contrahuntur, humor ftagnans in interftitiolis molecularum quibus coalefcit fibra, exprimitur, redintegratur, aut crefcit elater, robore majori reagunt in humores vafa, diffringitur vifcida liquorum moles, circulatioque rapidiori rotâ intra brevius fpatium abfolvitur. Probant hæc aucta pulfûs velocitas & major caloris gradus. Jam verò effentiam febris pofuimus in pulfûs acceleratione; febrem igitur fufcitas, quoties morbos chronicos aperientium ope debellare fatagis, & folâ hâc viâ optatam moliri curationem potes. Aliundè naturam cujus Minifter eft medicus, fequeris ducem? fed ut coronam operi imponamus, quibufdam objectionibus paululùm immoremur.

V.

NON deerunt qui fententiam concutere allaborent: monitos velim non ad omnes cafus indifcriminatìm pertinere noftram affertionem. Reipsâ fæpe tot malis obruitur fatifcens natura, ut nullum fuperfit arti auxilium quo fractas erigat vires. Tunc cautè abftinendum eft ab armis quibus labem inureret infelix eventus, &, ut ait Celfus, non infamandum remedium aliàs profuturum. Dum v. g. ultimum gradum jam emenfa fuit phtyfis pulmonalis, nimiâ labe inficitur fanguis ut ad leges coctionis componi poffit humor inimicus, fufflaminatoque impuræ colluviei fomite redintegrentur vifcerum functiones. Circa alios morbos aliis premimur difficultatibus. Quando fpafmus validè intenditur, fi tunc fufcitaretur febris, cum fibræ jam rigeant, metuendum foret ne accenderetur ignis nullâ extinguendus arte. In hoc rerum articulo obtineatur remiffio, pofteà ad propofitam opem confugiet qui infarctùm tollere voluerit. Si fpafmus à folâ obftructione natales ducat, nullâ aliâ arte folvitur quam fufcitato alio fpafmo febrili. In chronicorum curatione alia adhibenda funt auxilia quæ refpuere mens non eft, ut exercitium quo mediante tonum recuperat fractus

ſolidorum elater, rectiùs inſtituitur ſecretionum ordo; excretaque feliciùs amandantur, ut purgantia, quorum dabit conſilium materia turgens. Hinc ratiocinio & obſervatione ſuffultis liceat optatam deducere concluſionem.

Ergò ad ſanandos chronicos affectus eſt, ut plurimùm excitanda febris.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus Jacobus MACQUART, Cenſor regius, utriùſque Pharmaciæ Profeſſor.

M. Claudius - Thomas-Guillelmus-GUILBERT DE PREVAL.

M. Michael - Ludovicus VERNAGE, Eques, & Cenſor Regius.

M. Theophilus DEBORDEU, Eques, noſcomii regii & militaris Baregienſis Medicus deſignatus.

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE.

M. Claudius - Antonius RENARD.

M. Petrus - Abrahamus PAJON DE MONCETS, Eques, Societatis Litterariæ Catalaunenſis Socius.

M. Joannes - Baptiſta BASSEVILLE.

M. Petrus - Antonius LEPY, Antiquior Scholæ Magiſter.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS-JOANNES-BAPTISTA-MACLOVIUS GUENET, Rothomagæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor,
A. R. S. H. 1765. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Facult. Pariſienſ. Medicinæ Typog. viâ *du Fouarre*, 1765.